

**Dissertatio metaphysico medica inauguralis, observationes quasdam
generales de principio vitali complectens ... / Eruditorum examini subjicit
Joannes Pigot.**

Contributors

Pigot, John.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Robertum Allan, 1807.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rd2fu9x6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO METAPHYSICO MEDICA

INAUGURALIS,

OBSERVATIONES QUASDAM GENERALES

DE PRINCIPIO VITALI

COMPLECTENS.

DISERTATIO METAPHYSICO MEDICA
IN AUGURANIS
OBSERVATIONES QUASDAM ETERNALES
DE PRINCIPIO VITALI

COMPLETUM

DISERTATIO METAPHYSICO MEDICA
IN AUGURANIS
OBSERVATIONES QUASDAM ETERNALES
DE PRINCIPIO VITALI

COMPLETUM

ANDERSON ALLAN

2

DISSERTATIO METAPHYSICO MEDICA
INAUGURALIS,
OBSERVATIONES QUASDAM GENERALES
DE PRINCIPIO VITALI

COMPLECTENS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, - S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES PIGOT,
HIBERNUS.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Disce sed a doctis, indoctos ipse deceto ;

Propaganda etenim rerum doctrina bonarum:

CATON. DE MORIBUS.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO,
APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCCC,VII.

DISSERTATIO METAPHYSICO MEDICA
IN A U G U R A L I S
OBSERVATIONES QUASDAM GENERALES

DE PRINCIPIO VITALI
CAROLO K. BUSH
COMPLETENS:

REGIS BRITANNICAE IN HIBERNIA
ANNUNTIAE SUMMUM NUMERUM

D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTUS
JURIS CONSULTUS ET PRAEPOSITUS

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEPOSITUS
VIRI DOCTI ET PRAEPOSITUS

PRO GRADU DOCTORIS

INSTITUTUS IN METAPHYSICA AC PRINCIPIO
VITALI

HAEC DISSERTATIONEM INAUGURALEM
JOANNES BIGOT
HIBERNUS

EA OMNI QUA PAR EST
AD HANC DISSERTATIONEM SOLUTIO

OBSEKVANTIA ET REVERENTIA

EDINBURGH
JANUARIUS 1840
CAROLUS K. BUSH

JOANNES BIGOT

EDINBURGH
JANUARIUS 1840
ADUO ROBERTO WILLIAM

RECEPIT

VIRO HONORABILI,
CAROLO K. BUSH,
REGIS BRITANNICI, IN HIBERNIA,
ADVOCATO GENERALI,
JURIS CONSULTO ELOQENTI ET PERITISSIMO,
VIRTUTIBUS, MORUM ELEGANTIA & DIGNITATE
INSIGNI,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

EA OMNI, QUA PAR EST,
OBSERVANTIA ET REVERENTIA

D.D.D^{QUE},

JOANNES PIGOT.

ERRATA.

Pro Theoream lege Theoriam, per totum.

Pag. 2. lin. 12.	<i>pro</i> scibentibus	<i>lege</i> scribentibus.
— 4. — 2.	pricipiis	— principiis.
— 4. —	<i>pricipium</i>	— <i>principium</i> .
— 5. — 5.	— eaque generalizando	— classemque exiis formando.
— 14. — 5.	reminiscentia	— reminiscentia.
—	ingeniosè	— ingeniosè.
— 16. — 14.	quad	— quod.
— 18. 2 et 3.	automæton	— automaton.
— 21. — 21.	avilefcitur	— evilefcit.

DISSERTATIO METAPHYSICO MEDICA

INAUGURALIS,

OBSERVATIONES QUASDAM GENERALES
DE PRINCIPIO VITALI

COMPLECTENS.

DE rebus philosophicis omnes fere qui scribunt iterum iterumque de inductione multum fufe differunt. Nemo, dicunt omnes, ullam conclusionem, nisi per facta sit stabilita, formare debet. Justam hanc opinionem, certe multum veneror : sed anne tam arctis semper limitibus, homo, rationis facultate præditus, idcirco includi debet?—anne naturam mentis mutare volumus, vel ejus frænare volatum? —Theoream non esse penitus inutilem scientiæ hi-

storia abunde probat : et delectationem, quam præbet ejus formatio, quisquis sensu intimo cognoscit. Assignare enim causas effectuum est proclivitas naturæ humanæ ; non quia, ut theoria traderetur ut certa, sed veluti menti curiosæ lenimen ; saltem donec melior inveniretur. Cum igitur phenomena conspiciamus, si causa latet, vel latuerit, qui explanationem, nullatenus tradit, oblectatione amœnissimâ vacat. Intellectus autem jucunditates non sunt exiguæ.

Hæ observationes perquam appositæ sunt de principio vitali scibentibus. Certè, dum facultates nostræ permanebunt eædem, phenomenarum vitæ explicatio completa in æternum latebit. Attamen locis omnibus, temporibusque de earum causa homines, frustra quidem, sed amœniter differuerunt. Considerationes autem sequentes non esse in toto fuitiles, libenter spero,—eas esse defuetas et cognosco, et doleo. Vitalia varia phenomena in ordine libenter ennumerarem : utilitas tamen nulla ex narratione factorum, jamjudum bene nota oriretur ; cum nulla præsertim experimen-

ta ullius momenti, juvenis ob multas causas instituere potest. Ex altera parte, omnes habent Rationis facultatem, et fontes unde opiniones philosophorum haurire possint; operationes eorum intellectuales spatio in exiguo semper perfici possunt; et forsan speculationes hujusmodi, studiorum suorum proposito magis affines sunt.

Cur ergo hujus rei historiam naturalem devitavi, ex his colligi potest; et cur ad disceptationem, fere ex omni parte abstractam, me cohibui. Felix, si ex una parte, narratione factorum, ut omnibus bene nota, prætermisâ, ex altera, sermonem stolidum scholarum, qui inter philosophiæ scopulos juste numerari potest, evitare valeam. Eruditos huic rei majorem attentionem non præbuisse, certe mirum et dolendum est. Forsitan dicetur quia rerum faterentur majoris momenti;—esto. Sed, dum effectus vitales tam perite investigaverunt, de eorum Causa Efficiente facile quædam judicia formare potuerunt: cum media, præsertim, quibus morbi perturbationes moderantur, per talia judicia nullo modo afficerentur: cumque, ut opinor, om-

nis solers medicus, dum œconomiae animalis phenomena scrutatur, aliquid de eorum principis cognoscat oportet.

Per vocem *principium vitale*, ex scriptis auctorum, non satis mihi constat, utrum, intelligatur, causa efficiens phenomenorum vitalium, vel leges per quas agit, vel effectus quos producit. Aliquando enim collectio motuum omnium animalium vocatur *vita* : iterum, cum dicunt, quod *vis medicatrix*, *vis nervosa*, *vis insita in æternum latebunt*, certe nihil aliud exprimere volunt præter leges ignotas actionis vitalis : quid intelligunt per *reactionem systematicis* ?—quid nisi materia potest reagere ?—attamen materia nec est causa, nec lex, nec effectus ; sed solummodo subiectum. Plerumque hæc vox laudata, tertiam aliquam entitatem constitutionis humanæ, significare videtur, auctorem scilicet eorum effectuum, qui, legibus *mechanicis*, *chemicis*, aut *spirituum*, explicari nequeunt. Ubi sensus tam ambiguus extat, significatio vocis est semper nimis arbitraria, et multorum errorum causa est. Idem nomen enim effectibus dare, eorumque causis ;—
effi-

efficientiam prædicare de *legibus*, seu de *modis actionis*, est sermonis abusus. Cum igitur hac voce *principio vitali* utar, semper *Causam Efficientem* significare volo. Experimentiâ et observatione ejus phenomena investigare, eaque generalizando factum universale, seu legem naturæ, invenire ad Physiologiam pertinet: quædam autem dicere de causa horum effectuum qui omnes obstupefaciunt, solummodo meum est.

Quicquid intellectus humani objectum esse potest, necessario est vel substantia vel accidens. Vel enim aliquod ut existens *simpliciter et per se* concipimus; et est *substantia*; vel in quodam statu—quibusdam attributis donatum, et *accidens* appellatur. Sed exinde non inferendum est, ullam distinctionem realem traditam esse; relative solummodo considerantur, ut acceptationem terminorum melius exponere valerem. Substantia non magis sine modificationibus potest existere aut concipi, quam modificationes sine substantia. Ignorantiam nostram ergo ostendimus, substantiam definiendo, *existentiam per se*. Et quidem hæc proprietas ubinam extat?

—Theista,

—Theista, anne præter DEUM, aliquod semetipsum sustinens agnoscere audeat?—Etsi tamen nullam ideam hujus entitatis habemus, substantiam existere nemo sanus unquam negavit.

Omnes fere Philosophi asserunt genus substantiæ duplex esse, viz. *spiritum* et *materiam*. Et certe hæc opinio uno argumento probabili nunquam oppugnata fuit, attamen multis stabilitur; sed de hac re mox plura dicam. Ut omnis actio vitalis consistit in motu materiæ, sub hoc respectu ad classẽ motuum mundi generalem referri potest. Et certe, si unam causam possumus invenire mutationum omnium quas conspiciamus, theorema nostrum unum signum, et quidem in hac re justissimum, veritatis haberet;—simplicitatem. Illud enim systema, quod per causas pauciores plerosque effectus explicat, optimum habendum est. Tria autem potissimum systemata formantur ad explicationem motuum voluntariorum et involuntariorum *corporis animalis*, viz.—*1mo*, Omnes effectus esse modificationes materiæ activæ;—*2do*, Eos esse productos actione entium inferiorum;—*3tio*, Eos oriri ex actione

actione immediata DEI. Quædam de unaquaque harum opinionum in animo est dicere.

Materiam essentialiter agere, opinio fuit vulgata, apud claros nonnullos Philosophos, et antiquos, et hujusce ævi; nihilominus eorum argumenta quæ extant parvi sunt valoris. Extensionem, soliditatem, gravitatem percipimus; volitionem, ratiocinationem, sensationem sentimus; inter hæc attributa repugnantia immutabilis existit; concludimus ergo, ea ad idem subjectum pertinere non posse. Plurima argumenta dantur in scriptis metaphysicis, perita certè et ingeniosa; sed credo ex sensu intimo propositionem stabiliri, et consideratione parvâ objectiones refutari posse. Plura nunc de hac re dicere necessarium non judico; jampridem enim opinio materiæ cogitantis subversa est. Ex his ergo una ratio deducitur cur materiam supponere activam non possumus. Materiam inertem esse, ex philosophorum experientia et observatione concluditur; primæque motus legis stat fundamentum. Dicitur equidem nullum exemplum esse quietis;—sed relative ad alia, corpora quiescunt; quod

quod satis est ad inertiam materiæ probandam. Habemus autem documentum satis validum corpora non posse primario sese movere ; scilicet, quia, dum movent, nec *velocitatem*, nec *directionem* mutare queant. Et quidem nihil clarius est, quam materiam esse indifferentem vel ad quietem, vel ad motum : ergo si statum suum mutat, effectus realis occurrit ; cujus causam esse aliquod non materiale necesse est. Cum Newtoniani de gravitate loquuntur, certe non inde potest inferri, proprietatem activam materiæ inhærentem intelligi ; sed solummodo *legem* per quam movetur. Plures quam sufficiunt causas assignare non debemus ; ex quo sequitur, in *Physica*, nisi factis stabilitam, nullam conclusionem formari debere ; simplicitatemque in causatione esse preferendam. Sed cum vident, ex inertia materiæ completa, nullam loci mutationem eam ex se gignere posse, recurrere ad DEUM motorem, ut recens Philosophus objicit, non est *hypothese-
sin fingere*, nec causas sine necessitate multiplicare. *Actio et reactio sunt equalia et opposita* : hoc autem solummodo in *Physica*, verum est ; et cum DEUM dicimus

dicimus reagere in materiam, certe nulla reactio aut inferri aut concipi potest. Connectionem inter volitionem ejus et motum corporis, nunquam percipietur ; sed idcirco negari non debet. *Nihil nisi mobile movet* :—Hoc alterum est axioma ejusdem generis ; et æque ac lex tertia motus, solummodo ad motus corporum refert ;—in *Physica* solummodo verum esse potest. Materiam ex creatione sua extensam et solidam fuisse necesse est ;—et certe ex eo tempore quo gravis constituta fuit, et vi attrahendi et repellendi donata, vulgo ferme active existit. Sed ut hæc attributa mere sunt adventitia, quomodo probari potest ea materiæ impressa fuisse ab initio ?—Et si solummodo in capacitate existerunt, nunquam hoc argumento probari potest materiam ab initio egisse ; et forsan, nec etiam si egisset, eam in motu fuisse. Ex his observationibus deduci potest responsum breve ad speculationes novi auctoris * ingeniosi, eloquentis et eruditi, in capite operis suæ de Philosophia Newtoniana. Si plura nunc de hac re dicerem, limites

B

solitos

* DRUMMOND'S Academical Questions.

solitos Thesis transirem ; et quidem, doctrina *materiæ inertis* jampridem argumentis certissimis feliciter adstruitur. Ex dictis patet phenomena vitalia originem ducere non posse ex activitate ulla *materiæ* : quocirca a quibusdam philosophis, ad actionem mentis humanæ efficientem motus *voluntarii* referuntur ; et *involuntarii*, cum omnibus naturæ externæ motibus, ad actionem *naturæ plasticæ* et *mentium elementalium*, ‘*ὡς περ ψυχῆς*’ ut aiunt. Quæritur nunc utrum hæc opinio sufficiat ad explicationem difficultatum.

Doctrina de Natura Plastica, quam tenuerunt Peripatitici et Academici, ad finem seculi decimi septimi ab erudito Cudworthio renovata fuit ; et scriptor ingeniosus in Encyclop. Britan. ei magno-
pere favet. Intelligentiæ et sensus intimi expers Natura Plastica supponitur ;—et eam esse instrumentum cæcum, operationis suæ inconscium. Ex difficultatibus insuperabilibus, quæ hanc opinionem comitantur, unam alteramque proponam. Idea entis spiritualis sine ulla operationis suæ perceptione agentis, concipi non potest ; et res multas absurdas includit.

cludit: Agere vel non agere entitati huic, prout actionis inconscio, idem est: nullam idcirco evidenciam aut notitiam agendi habet. Clarum est igitur, maxima vi cum agere debeat, in toto quiescere posse; et agere, cum quiescere debet: ex qua nihil præter confusionem æternam oriretur. Si ad tempus creationis suæ in statu *quietis* fuit, quomodo statum suum mutaret, cum ad agendum, volitio et idea finis propositi necessaria sunt? Si ad tempus creationis suæ in statu *motus* fuit, ut ex eadem ratione, statum suum mutare nequeat, nullum exemplum corporum quiescentium extaret. Quomodo igitur Ens hujusmodi auctor esse potest motuum omnium, non solum quantitatis non determinandæ, sed etiam in locis non numerandarum! —Recurrere ad DEUM utpote hanc entitatem ad statum activitatis semper excitantem, est hypothesin penitus relinquere: et præterea, difficultatem nullam hæc Theorea removet; nam omnes actus hujusce entis, tam boni quam mali ad DEUM ultime referantur necesse est: et idcirco est auctor horum omnium effectuum qui tantum de majestate sua derogare dicuntur. Tam magnum

omnipotentiae conatum arguit, ens creare, auctorem motionum omnium mundi externi, ac si eos volitione sua immediatâ producat; minime ergo laborem ejus minuet. Et quidem agendi rationem absurdam DEUM sequi supponit: plures enim causas, et multominus plura *substantiarum* genera quam sufficiunt, assignare non debemus. Ex dictis sequitur opinionem CUDWORTHII, viro illo erudito et illustri indignam esse, et difficultatibus insuperabilibus comitari.

Mentem esse causam efficientem motuum voluntariorum corporis a Philosophis multis et magni nominis affirmatur; quasdam autem observationes tradam, quæ saltem mihi metipsum ad hanc opinionem subvertendum, satis videntur. Nunquam a priori potuissimus dicere motum ullum corporis sequi volitionem mentis; experientiâ solâ eorum conjunctionem cognoscimus. Si ullam potentiam in voluntate percipiamus, necesse est ut eam, et ejus cum effectu nexum, conjunctionem quoque mentis cum corpore cognoscamus; quæ omnia certe profunde latent. Cur dominium in brachia, et non in cor-

dis

dis motus habemus?—Cum quisquis motum vult in pede paralyfi laborante, mens tam magni ad ejus motum conatus, sibi conscia est, ac si motum alterius pedis sani voluisset;—attamen idem effectus nullatenus sequitur. Non possumus pliusquam ideam unam eodem tempore in mente habere; sed multi in corpore motiones simul existunt: aliquos idcirco, sine ideis correspondentibus existere necesse est. Ad aliquam actionem producendam, duo certe necessaria sunt, viz. *1mo*, Idea finis propositi; *2do*, Idea mediorum, quæ ad finem assequendum, necessaria sunt. Sed certe motus innumeri in corpore occurrunt, sine ulla eorum idea in mente: *e. g.* homo dum velociter ambulat, profunde meditans, nullam ideam habet pedum suorum motuum; et experientiâ certus sum, musicum ideas motuum digitorum variorum dum fidibus celeriter canit, nullatenus habere. Media pariter ignoramus quæ ad finem assequendum sunt necessaria: nam dum brachia sua movet, quis est, aut *rusticus*, aut *anatomicus*, qui de processu multiplici qui tunc progreditur, omnino cogitat?—cumque

motus ex nervis pendet, certe mentem cognoscere nervos qui ad partem movendam ducunt, necesse est; alioquin lingua moveret, quando brachium movere debet, et de calculo algebraico loqueremur, cum ab ense hostili nosmetipsos tueri debemus!

Sed contra hanc opinionem urgetur ideas et sensationes multas percurrere et existere in mente sine ulla eorum remeniscencia; hæc opinio igeniosè et peritè a Professore STUARTIO adstruitur. Sed si volitiones et sensationes mentem percurrere possunt sine ulla eorum existentiae remeniscencia, quomodo eas existisse probari unquam potest?—ex hoc etiam sequitur ideas existere in mente, cum eas nullatenus percipimus, quod certe impossibile est: quomodo enim mentem percipiendi facultate donatam, nisi sensum sui faciunt, percurrere possunt?—Respondebitur, alio modo phenomena actionum celerrimorum explicari non posse;—at equidem ut opinor, ex Theorea, quam sustineo, explicatio multo melior deduci potest. In consideratione hujusce rei, qui negant mentem non ideas motuum variorum habere ante eorum existentiam, cavere debeant

ne confundant ideam præviam motus in corpore, cum hujus sensatione quæ instantèr sequitur ; ex hac confusione errores multos oriri certus sum. Aliqui dicunt mentem esse causam efficientem suarum idearum ; et tamen ante earum existentiam, nullam ideam harum idearum habuisse. Sed ea de causa nego mentem esse causam efficientem suarum idearum. Et quidem volitio est desiderium modificatum quod certe non includit, nec probat, potentiam ullam in volitione. A priori, nemo dixisse potuit ideam, volitionem sequituram fuisse ;—quid ergo in ea apparet, quod causa dici potest ?—Idearum ordo unus per activitatem mentis, cum altero ordine alternari non videtur ; sed quia unus sese menti magis gratus offert. Denique, non ad libitum ideas resuscitare valemus. Ex his patet, mentem non esse causam efficientem motuum voluntariorum corporis ; quapropter altera explicatio necessaria esse videtur. Post deliberationem multam *systema causarum occasionalium* solum esse generalissimum et sufficientissimum opinor : ad cuius expositionem nunc libenter propinquo.

Ante-

Antequam autem ad hujus systematis expositionem adveniam, opinionem celeberrimi LEIBNITZII prætermittere iniquum esset. DEUM esse causam efficientem motuum omnium supponit; sed legem actionis ejus exponit modo peculiari. Quicquid in natura existit ex *monadibus* constare dicit; monada autem, *simplicia, dissimilia, activa, representativa* fingit. Eorum junctione materia constituitur; DEUS est monadam increatum; mens et corpus sunt monada. Principium omnium ejus opinionum est, *nihil sine ratione sufficiente fieri posse*. Hoc est fundamentum celebris istius systematis de Optimismo. Automati ratio, inquit, constitutiva est, quod ejus status præsens semper ex præcedente secundum quasdam leges sequatur. Eo sensu, non solum corpus, sed etiam mens, est quoddam automati genus spirituale; si enim præsens mentis affectio ex præcedente non sequeretur, non esset *ratio sufficiens*: cur hæc affectio prior existeret, altera posterior. Successionem ergo continuam causationis et necessariam, in actionibus et mentis et corporis supponit; quarum unamquamque ex altera

pendere non putat. Mentem et corpus ita esse constituta opinatur, ut diversæ mentis cogitationes diversis corporis motibus, variique corporis motus, variis mentis cogitationibus respondeant. Est igitur, inquit, *harmonia præstabilita* inter actiones mentis et corporis, qualis esset inter duo horologia, quæ omnes motiones suas iisdem præcisè momentis perficerent, licet nulla inter illa foret nexus; ita ut MILTONUS carmina divina sua finxisset etiam si nullam mentem habuisset,

Dicere nihil sine ratione sufficiente fieri posse, libertatem et divinam et humanam aperte tollit; et bene refutatur experienciâ; cum, etiam ubi motiva sunt æqualia, nosmetipsos ad alterutrum determinare nos posse, certum est. Si eventus unus esset causa succedentis, quies esset causa motus; frigus, calor, &c. Prædicare potentiam de *eventibus* est sermonis abusus. Multi occurrunt eventus, qui cum aliis relationem nullatenus habent: “Plusieurs,” ait VOLTAIREIUS “événements restent sans filiations.” Hoc principium probaret statum præsentem rerum esse æter-

num ; nam si quisquis eventus, alterum necessario producat, ubinam appareret terminatio productionis ? Corpus non est *autometon*, magis quam mens ; atque certe *mens* non est *autometon*, nam libera est : neque etiam *corpus*, nam motus multi ejus ex voluntatis nutu oriuntur. Ex hac opinione sequeretur DEUM esse auctorem peccati. Denique evidentiam existentiae mundi externi destruit.

Systema *Causarum Occasionalium*, cujus auctor, ni fallor, fuit illustrissimus CARTESIUS, omnium effectuum, quos in mundo videmus, causam efficientem et immediatam DEUM esse supponit. Et eum una lege simplici ordinari : viz. Cum unum corpus in alterum impingit, causa datur cur sese determinet ad motum producendum in corpus impactum ; quæ causa idcirco *occasionalis* appellatur. Similiter, volitiones mentis sunt causæ, cur sese ad corpora congruenter movenda determinet ; et hoc etiam modo, commotiones in organis nostris, sensationes in mente inducunt. Multi qui multum de rebus quas non intelligunt, loquuntur, hanc opinionem
refu-

refutationem non merere afferunt : et equidem quia eam in toto nullatenus intelligunt ; sed forsan multo magis, quia de ea parum cogitaverunt. Objectionibus tamen, quas huic opinioni præponunt, solutionem dare gratissime propero ; et via certe est optima propositionem aliquam stabiliendi.

Objicit CROUSATIUS, et multi post eum, hac opinione DEI dignitatem minui ; eum scilicet actionibus frivolis, nonnunquam etiam servilibus, semper turbari ; eumque esse auctorem peccati. DEUM ut creaturarum famulum exhibere, est absurditas irreligiosissima : sed eum, ut dominum increatum naturæ, auctorem universalem, ejus existentiam harmoniamque producentem et conservantem exhibere, est opinionem tradere, et simplicem, et excelsum !—Et quidem, ubicunque DEUS agit, activitatis ejus signa sunt—simplicitas, sublimitas !—Quid magis ideas nostras de omnipotentia attollere queant, quam considerare omnes motus quos in mundo immenso occurrere cernimus, effectus esse Ejus actionis immediatæ ?—Motiones, seu eventus qui irregulares sunt, si ulli existunt, ad DEUM in quovis

systemate, quod Ejus existentiam admittit, aut mediate, aut immediate, referri necesse est; et certe nullam ergo objectionem justam huic opinioni præstant. In actionibus, quæ contra leges promulgatas committuntur, distinctionem duplicem formant Theologi, viz. *Actio Physica* contra legem commissa, quæ poenam relative ad cæteros homines debet lenire; et *volitio libera* mentis eam committentis? In hac volitione solummodo consistit peccatum; Deusque eam in opinione nostra nullatenus producit; sed solummodo *actionem physicam*, lege quam instituit. Refutare autem objectiones generales in DEI providentiam, ex malorum existentia derivatas, nunc meum non est; cum contra Theoreas omnes urgeri possunt.

Cum DEUS hanc conjunctionem inter corpus et animam effecit, eam certe secundam quasdam leges instituit. Motiones quascunque, volitiones nostras non sequi, est factum, non a priori, sed experientiâ notum: et ratio adest; quia res ita se habere non Deo placuit. Ex hoc ergo objectionem deducere, ut opinor, vanum est:

limites

limites potentiæ corporealis in organorum nostrorum structura, invenimus ; et cur ad quoscunque motus pares non sunt, nescimus. Dicitur, in hac hypothefi structuram admirabilem corporis inutilem esse. Sed certe non inde sequitur ; nam media ulla potest DEUS eligere, quæ ad finem ejus affequentum sunt necessaria ; et certe utilis est structura animalis etiam ad sapientiam et scientiam ejus demonstrandam. Dicitur, cur actiones nostræ hominibus imputantur, cum DEUS est eorum auctor. Duplex distinguitur natura hominis, viz. *animalis* et *rationalis*, et certe inequales dignitate sunt. At, cum junguntur, actiones naturæ inferioris, superiori imputantur ; et tunc quod appellamus *personam* unam formabit. Hæc est quæ in Ontologia *unio hypostatica* nominatur ; et ad hoc sufficit reciprocitas actionum inter animam et corpus per systema causarum occasionalium. Nam quicquid actiones entis inferioris producit *efficienter* ; ut pendeat quoad existentiam de nutu superioris naturæ, ei idcirco imputari debent ; quæ conditionem *sine qua non* eorum existentiae ponit. In hac opinione

Physica non avilefcitur ; *e. g.* dicendo ubi phenomenon occurrit—“ *DEUS* est caufa ; ne amplius quæramus.” Sed dum femper ut caufa efficiens motuum omnium fupponitur, Philofophorum eft, effectuum naturam, et eorum gradus varios accuratè investigare ; facta multiplicare ad legem generalem formandam ; velumque hoc modo Naturâ detrahère, ad vias ejus fecretas agendi confpiciendas. “ Dans l’hypothefe des *caufes occafionelles*,” inquit præclarè Abbè PARRA, “ la nature vifibile
 “ eft une ouvrage mechanique infiniment digne
 “ de l’intelligence infinie qui en conçut le plan,
 “ et de l’infinie activité qui le met en jeu et en
 “ action !”—Adhuc objicietur, hanc opinionem æque confentaneam effe cum mentis exiftentia in *Luna*, et corporis in Sidere Georgio!—Ifta obfervatio, æque ac omnes, quæ localitatem animi fupponunt, tam abfurda eft ac fi dicerem, “ Quantum
 “ diftat Edina ab hora quinta ?”—Quid fit, et ubinam fedes animi nunquam cognofcemus. Uti fimplex eft, variis *loci* punctibus congruere non poteft ; et idcirco nullibi eft ; attamen non inde inferendum

ferendum est, animum non existere. Mundus totus nullibi est ;—sed anne idcirco non existit ?

Breviter, igitur, systema exposui quod melius mihi arridet ; restat ergo ut quasdam observationes nunc tradam ad utilitatem ejus in principii vitalis explicatione, monstrandum. Dixi, omnia vitalia phenomena posse resolvi in tot exempla translationis materiæ ex uno puncto loci in alium. Materiam inertem nullum movendi principium in se habere certissimum est ; si ulla certitudo ex experientia et observatione oriri potest. Sed eam a primo impetu, sine ulla vi motrice repetita, movere pergere, ex indifferentia ejus ad quietem vel ad motum, aperte sequitur : ubi, autem quoad velocitatem, aut quoad directionem status ejus mutatur, prout novus effectus, causam activitatem suam repetentem arguit. Ut nihil agit nisi *cum* et *ubi* existit, certe actio *e distant*i impossibile est ; alioquin corpus esset, et non esset. Sed ea in contactu supponere, difficultatem explicandi motum in corporibus productum nullatenus removet. In impulsu, connectionem esse inter impactionem et motionem sequentem,

sequentem, nunquam a *priori*, solummodo *experientia* constare potest : et forsan nullus fit impulsus in natura, nam experimentis probatur, duas nullas particulas in vero esse contactu. Hæ observationes applicari possunt ex omni parte, motionibus quæ in corpore animali occurrunt. In eo, fere nunquam eadem particula eadem velocitate et directione movet, semperque igitur activitatem entis motricis arguit. Et si in animo teneamus, motionem alicujus corporis, vel corporum collectionis, ad totum movendum volitione generali non esse productam ; sed, ut motus *massæ* est motus omnium singulorum atomorum ex quibus constituta est, et ad uniuscujusque motionem, volitionem distinctam esse necessariam ; clarum est ens nullum præter DEUM hujus tam magni effecti auctorem esse posse. DEUM igitur esse auctorem immediatam efficientem motuum animalium, æque ac materiæ inorganicæ, est opinio omnium simplicissima, ac justissima. Duo solummodo genera substantiæ in natura agnoscere possumus, viz. *Materiam* et *Spiritum*. DEUM creavisse materiam et continuo omnipotentiam

nipotentia suâ ejus motus regere, per tres leges generales, viz. *Mechanicam, Chemicam, Vitalem*. Ex quarum investigatione tres scientiæ originem ducunt; Philosophia Mechanica, Chemia, et Physiologia. Ad *Physiologiam* pertinet facta phenomenaque motus animalis colligere, Anatomiâ adjuvante: quod quidem in toto perfici non potest; cum organa multa nisi in statu mortis videre non possumus; et prout instrumenta observationis, et scientiarum auxilia in statu perfecto non sunt. Ad *Medicinam* pertinet harum legum perturbationes earumque effectus moderare; remediaque, etiamsi eorum modum actionis non cognoscitur administrare, ut corpus animale sanamus, cujus principium vitale est Ens supremum et Creator.

F I N I S.

DE PRINCIPIO VITALI.

impotentia sua ejus motus regitur, per tres leges ge-
 netales, viz. Mechanicam, Chemicam, Physicam. In
 quarum investigatione tres scientie originem habent
 eunt; Philosophia Mechanica, Chemica, et Physica.
 logica. Ad Physicam pertinet facta phaenomena
 que motus animalis colligitur, Anatomia, Physiologia
 quod videtur in toto potius non potius, cum et
 gata multa illi in statu moris videri non possunt
 tunc; et prout instrumenta observantur, et scien-
 tiam animalis in statu perfectio non sunt. Ad
 Mechanicam pertinet hanc legem perturbantem
 varietatem effectus moderare; remanentem, etiam
 eorum modum actionis non cognoscitur admodum
 fiant, ut corpus animale hancque, ejus principium
 vitale est. Eas legem et Cretat.